



Continuatio deinde secundaria est Reductio crurum maioris constituti per primariam reductionem Rectanguli ad usq³ completionem quadrantum, vel ad Rectangulum equicrurum, cuius crura quadrantes existunt, aequè ac supra in continuatione Rectangulorum factum est. Vbi notandum venit, vt quoties in maiore illo constituto per primariam Reductionem Triangulo rectangulo nondum tria Data constabunt, vt in prioribus Exemplis, illa adminiculo notorum in minore constituto Triangulo Rectangulo inuestigentur, vt in posterioribus Exemplis, in quibus non opus est intercessione minoris illius trianguli datorum. Ideoq³ per posteriorem accommodationem facilius quidem erit inuestigandi ratio quam per priorem.

Atq³ haec haecenus de obliquangulorum Triangulorum continuatione, deq³ eorundem vtraq³ Reductione ac solutione in genere dicta sunt: sequuntur iam deinceps specialia & quibusdam peculiaria quadam.

X. De duobus obliquangulis Ambiguis.

Atq³ sic in genere quidem illa quatuor intermedia, id est, praeter primum & vltimum, obliquangula duplici Reductione ad Rectangula soluantur. Verum enimvero hoc loco consideranda veniunt duo obliquangulorum monstra, quae ambiguum solutionem patiuntur atq³ admittunt, ideoq³ Ambigua dicuntur. Quare ad tollendam hanc ambiguitatem, vnà cum tribus solitis datis alia adhuc atq³ certa aliqua conditio adiungi atq³ insuper exprimi debet: id enim nisi fiat, duplicem responsionem absq³ commisso errore admittunt, aequè ac sexta illa Aequatio in Canone Gebri seu Regulae Algebrae. Ambiguorum vero species duae animaduertuntur, quarum prior etiam planis Triangulis communis est: posterior vero solis sphaericis propria.

XI. De priore Ambiguo, etiam planis communi.

In precedente Dimissionis Diagrammate, nisi vnà cum tribus datis expressè addatur, num angulus in basi sit ad D acutus, an ad G obtusus: vel an perpendicularis arcus AC intra an extra propositum Triangulum obliquangulum cadat, adhuc haereo atq³ anceps sum, an que-